

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRÆ, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,
OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

[QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSISTERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA
ECCLESIAE SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS,
PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DSSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS
DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUIUS MOMENTI
SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM
DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM
ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID
UNUSQUIQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO
SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUIBAM PATRES
ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM
SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS,
CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS
TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER
SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA,

SEICENTORUM FRAGMENTORUM OPOSOLORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM,
PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES,
LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES; DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIAE LATINÆ
A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT
MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS
ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES,
TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.



PATROLOGIÆ TOMUS CLXXI.

VEN. HILDEBERTUS PRIMO CENOMAN. DEIN TURON. ARCHIEP. MARBODUS REDON. EPISC.
HILDEBERTI SUPPARIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA, DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

SÆCULUM XII

**VENERABILIS
HILDEBERTI**

PRIMO CENOMANENSIS EPISCOPI

DEINDE TURONENSIS ARCHIEPISCOPI

OPERA OMNIA

TAM EDITA QUAM INEDITA

ACCESSERUNT

MARBODI

REDONENSIS EPISCOPI, IPSIUS HILDEBERTI SUPPARIS

OPUSCULA

QUÆ HACTENUS EDITA, HÆC AUTEM AUCTIORA ET PLURA NONDUM EDITA PRODEUNT
OMNIAQUE AD MANUSCRIPTOS CODICES RECENSITA, NOTIS PASSIM ILLUSTRANTUR
LABORE ET STUDIO D. ANTONII BEAUGENDRE, PRESBYTERI ET MONACHI
ORDINIS SANCTI BENEDICTIE CONGREGATIONE S. MAURI

DE NOVO EDITA

CUM NOTIS ET QUAM PLURIMIS ADDITIS GENUINIS OPERIBUS, E COD. MSS. ERUTIS

CURA ET STUDIO

J. J. BOURASSÉ

CANONICI ECCLESIE METROPOLITANÆ TURONENSIS

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE



TOMUS UNICUS

VENIT : 8 FRANCIS GALLICIS

EXCUEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1854

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXXI CONTINENTUR

VEN. HILDEBERTUS_CENOMANENSIS EPISCOPUS, DEINDE TURONENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Prolegomena.	9
Epistolæ Hildeberti.	135
Diplomata.	311
Sermones.	339
Vita S. Radegundis reginæ.	967
— S. Hugonis (<i>jam edita Patrologiæ t. CLVIII in S. Hugone.</i>)	
Liber de querimonia et conflictu carnis et spiritus seu animæ.	989
Moralis Philosophia de honesto et utili.	1003
Libellus de quatuor virtutibus vitæ honestæ.	1055
Tractatus theologicus.	1067
Tractatus brevis de sacramento altaris.	1149
Liber de expositione missæ.	1153
Versus de mysterio missæ.	1177
Liber de sacra eucharistia.	1196
Carmina de operibus sex dierum	1213
Physiologus.	1217
De ordine mundi	1223
De ornatu mundi.	1235
Carmen in libros Regum.	1239
Applicatio moralis locorum Scripturæ ex Veteri Testamento.	1263
In primum;caput Ecclesiastes.	1271
Ex Novo Testamento.	1275
Libellus inscriptionum christianarum.	1281
Versus de sancta Susanna.	1287
De Machabæis.	1293
Versus de S. Vincentio.	1301
Passio sanctæ Agnetis.	1307
De Inventione sanctæ crucis.	1315
Vita beatæ Mariæ Ægyptiacæ.	1321
Lamentatio peccatricis animæ.	1339
Historia de Mahumete.	1343
Liber dictus Mathematicus.	1365
Carmina Miscellanea.	1381
Carmina quædam indifferentia.	1441
Supplementum ad carmina Hildeberti.	1447

MARBODUS REDONENSIS EPISCOPUS:

Epistolæ.	1463
Liber de tribus inimicis.	1491
Vita S. Licinii episcopi Andegavensis.	1493
— S. Roberti abbatis Casæ-Dei.	1505
— S. Magnobodi confessoris.	154
— S. Gualterii abbatis.	1563
Sermo in Vitam S. Florentii confessoris.	1577
Historia Theophili metrica.	1593
Poema de septem Machabæis.	1603
Versus de Laurentio.	1607
Passio Victoris martyris.	1615
Passio Maurilii et sociorum ejus.	1625
Vita sanctæ Thaisidis.	629
Passio SS. Felicis et Adauti.	1633
Vita B. Maurilii.	1635
Carmina varia.	1647
Liber de ornamentis verborum.	1687
Liber decem capitulorum.	1693
Carmina varia.	1717
Liber de gemmis.	1737
Diplomata.	1779
INDEX ANALYTICUS.	1819

1261-1262 INCIPIT
VITA BEATÆ MARIÆ ÆGYPTIACÆ.

(82) Incipit hic Phariæ felicis Vita Mariæ.

(Recensita ad manuscriptum Sancti Mariani, ms. Victorinum, num. 272, et Ebroicensem, num. 19. Porro in Ebroicensi hoc poema dividitur in plures cantus, quos hic notandos ad Lectoris commodum duximus.)

CANTUS PRIMUS.

Sicut hiems laurum non urit, nec rogos aurum ;
 Sic Zosimam puerum nec opes, nec gloria rerum.
 Quas cito labentes, et noxia quæque docentes
 Sprevit, devovit, animoque manuque removit.
 Et monachus factus monachi vigilavit in actus;

D Proponensque sequi doctores juris et æqui,
 Institit annorum legem cohibere suorum :
 Institit, inque brevi mutatis moribus ævi,
 Mores doctorum transcendit doctor eorum.
 Ut pueri metas evasit debilis ætas,
 Creverunt dona, crevit simul ipsa corona.

(82) Edita apud Bollandum 7 Martii. In ms. S. Mariani Antissiodorensi sic iurhoatur.

Nil magis huic oneri, quam ¹⁰ velle quiete foveri; A
 Nil magis ingratum, quam non punire reatum.
 Hujus erat testis modicus sopor, aspera vestis,
 Et cibus et stratus, modo gloria, tunc cruciatus.
 Testis erat monachi color, et caro nescia Bacchi:
 Non caro, sed pellis macra, pallida, trita flagellis,
 Docta reluctari sibi, spiritui famulari.
 His in tormentis, sacræ modulatio mentis
 Christo psallebat, si, quando lingua tacebat.
 A sanie busti mens semper conscia justi
 Se non dimovit; Deus hæc, homo cætera novit,
 Talibus ille modis dum psalmis instat et odis,
 Vidit cælorum secreta, futuris eorum;
 Vidit et didicit qua spe tot prælia vicit.
 Spe Zosimas captus sacros ita crevit in actus,
 Ut stagnum rivo, vel torpens ignis olivo.
 Et memor ad ¹¹ mores prodesse cavere favores,
 Cum bene pugnaret, cum bene fama volaret.
 Quanto plus cavit, tanto magis illa volavit,
 Et contra votum retulit laudabile totum.
 Illuc innumeri populi venire doceri,
 Quos, ut poscebat locus, ætas, ordo, docebat,
 Vincens majores, ut stellas luna minores.
 Hæc dum consuevit Zosimas, elatio crevit.
 Dixit et hæc secum: Quidquid jubet ordo vel æquum
 Eligo, sector, amo, discenda tenendaque clamo;
 Attenuant artus labor ingens et ¹² sopor arctus.
 Hæc puer elegi, puer hæc et plura peregi.
 Jam tunc ordo gregis, jam remus et anchora legis,
 Jam dignus cælis, sacer actu, mente, loquelis:
 Unus cum mundo pugnavi sine secundo.
 Miratrix horum plebs, clerus, grex monachorum
 Me petit, audit, amat, peragit quod vox mea clamat.
 Talia dum jactat Zosimas meritumque retracta
 Quidam subtexit cui spiritus illa retexit.
 Jam bene certasti, bene qua licuit superasti;
 Nil oblectatur, caro servit, mens dominatur.
 Sed tamen est dubius finis certaminis hujus;
 Cumque potes subjici, non debes dicere: Vici.
 Nam quis vincatur, vel vincat, sine probatur.
 Præmia victorum pendent in [f. a] sine laborum
 Ut Scriptura sonat, finis, non pugna coronat.
 Cum bene pugnabis, cum cuncta subacta putabis,
 Quæ nisi infestat, vincenda superbia restat.
 Hæc nisi vincatur, promissa corona negatur.
 Proh dolor! his telis superatur sæpe fidelis;
 Hac duce nonnunquam rosa vertitur in salicam.
 Isti portento, sodes, obstare memento,
 Nec vel te tantum præsumas dicere sanctum,
 Vel te præ sanctis meritum promissa Tonantis.
 Multi sunt qui te superant examine vitæ,
 Quos ut cognoscas, Jordanis littora poscas.
 Regem cælorum colit illic grex monachorum.
 Cum monachis habites, quid agunt, age; cætera vites.
 Exi, festina: dilatio, magna ruina.
 Exit, abit propere, pulsatque, fores patuere:

Inde salutatus abbas est pauca profatus.
 Cur venias, aperi. Zosimas ait: Opto doceri,
 Et peccatorum revelari mole meorum.
 Asperitas cultus, vos supplex, gratia vultus,
 Signa sacræ mentis, votum juvere petentis.
 Responditque Pater: Nemo, charissime frater,
 Nemo ¹³ lavat morbis animam nisi Conditor orbis,
 Prava coerceri, bona poscas inde doceri.
 Si tamen hic cœtus placet, aut locus ipse quietus,
 Si magnus modicis vis jungi palma miricis,
 Stes: videas; humilis si proderit usus ovilis,
 Et lege nobiscum pastus istus ¹⁴ ibiscum,
1263 Summus pastorum nos nutriet esca suorum,
 Esca fovens mentem post hanc nihil esurientem:
 Nil animæ satius, quam pasci visibus hujus.
 B Annuit his equidem Zosimas, mansit ibidem:
 Mansit, et in cella nova vita sacerrima bella
 Vidit, laudavit, didicit, servavit, amavit,
 Tam gregis hortatu crescens, quam ¹⁵ tela rotatu.
 Hujus cura gregis summi dilectio gregis,
 Legis doctores audire, docere minores,
 Nolle favere cuti, jus pendere, legibus uti,
 Nulla loqui temere, quasi dira venena cavere,
 Iram, livorem, lites, maledictæ, tumorem,
 Sal, pisces, vinum, pulmentum, stramina, linum:
 Non attingebant, quibus uti crimen habebant;
 Non sapor his olerum, non res, non mentio rerum,
 Nec crinis comptus, nec erat meditatio sumptus.
 Nemo vel impensa vestis, vel dispere mensa,
 C Invidi Patri, non frater denique fratri.
 Par cibus et cultus, procul abstulit [f. absuit] inde
 [tumultus:
 Potus erat flumen, festivior esca legumen,
 Cilicium vestis, male mollia cingula restis
 Gaudia lapsorum reditus, dolor error eorum.
 Lectio vita Patrum, monitus concordia fratrum.
 In verbis horum Deus, aut sacra gesta piorum:
 Invigilando more procul otia, psalmus in ore,
 Attenuata caro cruce multa, somite raro,
 Fletibus et crebris vulgabat facta latebris:
 Vulgi rumores, fora, causas extérieures,
 Momentum morum non noverat uilus eorum.
 Hujus erat causa, locus additus, ostia clausa,
 Janitor austerus, grex, pastor, uterque severus,
 D Isti claustrales nec certos officiales,
 Nec, si pastorem demas, habuere priorem.
 Si ¹⁶ quid poscebat res, aut Pater ipse videbat,
 Cura fuit cuique parere, reique, patrique.
 Pastor agenda quidem monstrabat, agebat et idem,
 Plusquam prælatus cunctis servire paratus;
 Nec magis hortari consuetus, quam famulari.
 Ille beatorum decus, et speculum monachorum,
 Lux erat in tenebris, ibi clausus, ubique celebris
 Morum primatus, schola juris, virga reatus.
 Crux sibi, forma gregi, via vitæ, gloria legi;
¹⁷ Notus gaudenti gaudere, dolere dolenti.

¹⁰ Ebr., membra. ¹¹ ad mæiores. ¹² Ebr., cibus. ¹³ Ebr., levat morbis. ¹⁴ Ebr., hibericum. ¹⁵ Ebr.,
 tæda. ¹⁶ Ebr., Quod jus voscebat. ¹⁷ Ebr., Gnarus gaudenti. Vict., Nautas gaudenti, mendose.

His gravis, his fractus, fuit omnibus omnia factus.

CANTUS II.

Res monet ut quædam quæ grex consueverat, edam.
Tempore quo sacro plebs purificata lavacro
In veniam scelerum summam decimare dierum
Incepit, et cella prodibant ad nova bella,
Sed prius excessus abbati quique professus
Præconfortabat mentem, corpusque juvabat
Sacramentorum gustu, medicoque ciborum.
Inde petebatur benedictio (83) sueta : dabatur,
Oscula jungebant, tunc tandem claustra patebant.
Jamque valedicto cœtuque locoque relicto,
Grex simul exhibat, eremum diyisus adibat.
Pars, ut poscebat mos ipse, domi remanebat,
Conservaturi bona convenientia furi ;
Sed ne sanctorum foret expers officiorum
Cella parata sacris studiis animæque lavacris,
Ornata festo pauper, sed dives honesto.

Ædibus egressi latebras animumque professi

1264 Pergebant, quorsum dabat optio, quisque
[seorsum.

Quisque pari voto certabat teste remoto
Psallere prostratus, lacrymis delere reatus,
Supplicis laceræ carnis tibi, Christe, placere,
Lætari de te socio, duce, sine, quiete.

Te prætendebat, dabat, expectabat, habebat
Belli tutamen, testem, diadema, juvamen.
His insistebant studiis, pariterque fovebant
Corda sacra verbis, carnem radice vel herba.
Pars quota gestabat panem, partem recreabat
Fructus palmarum pro mensis deliciarum :
Pro dape festiva glans, aut silvestris oliva.
Hæc in deserto sunebat tempore certo,
Et certis horis requiem modicumque soporis.
²⁸ Taliter expletis triginta novemque diætis,
Cella petebatur, remeabant cum celebratur
Ranis palmarum pro canone Christicolarum.

CANTUS III.

Hæc admiratus Zosimas, et ferre paratus
Nil ratus est ²⁹ sacrius quam ritum canonis hujus.
Hunc simul ³⁰ advertit revolutio temporis, exit ;
Exit, et a cella proficiscitur ad nova bella,
Transit Jordanem, portans pro tempore panem
Et sic ingressus latebras eremique recessus,
Vota Deo solvit, nova cantica pectore volvit,
Solutus agit vitam, sacra facta probant eremitam.
Ex quo lucescit iter urget, nocte quiescit.
Stratus humi plorat, socium si quærit et orat,
Qui solaretur curas, simul et pateretur,
Actibus instrueret, superans superare doceret.
Quod petit assequitur, sociusque viæ reperitur
Nam majore mora solita dum psalleret hora,
Tanquam currentem quemdam, sed veste carentem,
Vidit et expavit, quoniam phantasma putavit :

(83) Praxis benedictionis apud monachos in egressu a monasterio.

A Visu turbatus signo crucis est revocatus.
Viribus hinc sumptis, iter investigat euntis,
Currit, obestque parum labor, ætas, lustra fera-
[rum.

Sancte senex, propera, visurus spe meliora,
Quæ legis et sequeris, vestigia sunt mulieris.
Femina præcedit, quæ nec tibi femina cedit :
Ut pede, sic vita te præterit hæc eremita.
Hæc meruit latebris ut nunc sit ubique celebris,
In latebris didicit mundum bene vincere, vicit,
Imbribus infecta, nigra Phœbo, curva senecta,
Hispidula promendas partes, intacta legendas,
Horrescunt illi nivei modicique capilli,
Vix attingentes humeros, vix colla tegentes,
³¹ Impexi, rari, soliti sine lege vagari.

B Femina tota prius, jam totum despuat hujus
Tota caro pridem, modo tota rebellis eidem
Femina mortales bene dedignata sodales
Oblatum casu Zosimam fugit alite passu.
Hanc Zosimas sequitur, rogat ut stet, nec minus itur
Ille magis solito clamat : ³² Moderantius ito,
Quisquis es, exspecta, vector ire labore, senecta :
Exspecta fessum, non sum fera, supprime gressum,
Sum res parva quidem, sed homo, peccator, et idem
1265 Christum confessus, ³³ monachique frequento
[recessus,

Hic delictorum veniam suspiro meorum ;
Nec fuge, siste parum, verearis lustra ferarum
Per nomen Christi, per præmia quæ meruisti,
Serve Dei, resta, benedic mihi, quod rogo præsta.

C Nunquid pro Christo deserto vivis in isto ?
Quid non audisti saltem pro nomine Christi ?
Illa gradum fixit, manibusque subobsita dixit :
Femina sum, Zosima, scelerum molimine prima ;
Expers pannorum confundor ad ora virorum,
Nec sinit os verti pudor inguinis haud cooperti :
Sed quia te Christi famulum scio, quod petiisti
Fiet, si dederis quo ³⁴ probra tegam mulieris.
Vis loquar aut restem; versus retro da mihi vestem.
Inde cuculla datur, qua femina tecta profatur :
Cur, Pater, insequeris latebras miseræ mulieris ?
Cur, aut quo cursus ? Fremit hic leo, murmurat
[ursus.

Quod sperare bonum potes in regione leonum ?

D Hæc ea dum memorat, monachus prosternitur, orat
Ut benedicatur, sed et hæc ea strata precatur
Femina : Sancte Pater ; monachus : Sanctissima
[mater.

Clamitat uterque ; Benedic, inculcat uterque.
Hæc ratio litis, hæc unica lis eremitis ;
Cætera pars vitæ concors fuit et sine lite.
Dum sic certatur, sacra femina talia fatur.

CANTUS IV.

Mi Pater, offendis, nisi res ex ordine pendis :

²⁸ Ehr., Talibus. ²⁹ Ebr., satius. ³⁰ Ebr., advexit. ³¹ Ebr., implexi. ³² Ebr., moderatio. ³³ Ebr., Monachorumque frequento. ³⁴ Ebr., membra.

Offendis vere, dum vir petis a muliere
 Hoc tibi præberi quod debet vir mulieri.
 Vera loqui detur, transgressor juris habetur
 Qui rogat illa dari, quæ possunt jure negari :
 Tu vir, tu pridem monachus, tu presbyter idem,
 His tribus urgeris parere precii mulieris.
 Te peccatrici benedicere, non benedici,
 Præcipit ex more sacra manus uncta liquore,
 * Officium cuius gratia est muneris hujus.
 Intulit ista Pater : Claret satis, o sacra mater!
 Claret quantorum, mater sacra, sis meritorum.
 Nam licet ignotus fuerim, longeque remotus,
 Nec dictum tibi sit quæ vita, quis ordo mihi sit,
 Omnia novisti, nomen quoque non tacuisti.
 Ista docent quanti sis, et quam grata Tonanti.
 Qui sic ergo places, hunc flectas, hunc mihi places :
 Si petis, ipse dabit ; pete, votum vita juvabit.
 Vita beatorum votis succurrit eorum :
 Hanc Deus attendit, et premia digna rependit.
 Nullus ei flexus venit ex discrimine sexus
 Nec pro persona datur auferturque corona ;
 Gratia vel meritum dat munus cuique petitum.
 Illis mulier cedit, lacrymisque rogantis obedit.
 Surgitur, et paucis præmissis, illa requirit :
 Quæ pax sacrarum, quis sit status Ecclesiarum,
 Quo studio regum tractetur sanctio legum,
 Qua populus cura servet mortalia jura ?
 Ille refert meritis ejus precibusque beatis,
 Christicolas lætos et festa pace quietos,
 Et florere fidem. Post hæc persuadet eidem,
 Ut quæ nunc floret, ne quando marceat, oret ;
 Antidotoque precum confortet et excitet æquum
 In reverendarum rectoribus Ecclesiarum.
 Plura super memorat ; ea paret, sternitur, orat :
1266 Astra subit mente, grates agit ore silente,
 Mens in secreto pulsat clamore quieto,
 Signaque clamoris dat motus, non sonus oris.
 Dum sic oratur, Zosimas stupet et veneratur
 Ora, comas, vultum, pietatis habentia ** multum,
 Pallentesque genas jam funeris omine plenas.
 Quidquid spectatur, virtutem testificatur
 Cuncta beatorum sunt argumenta ** virorum.
 Sed ** subiere satis mirabiliora relatis ;
 Nam dum multimodas divini pectoris odas
 Longius extendit, tanquam suspensa pependit
 Aere, jam tota procul a tellure remota,
 Et tanquam terræ nollet contagia ferre.
 Corpus purgatum sursum stetit inde levatum.
 Sic monacho coram superum fuit hospes ad horam,
 Æternum superis socianda caro mulieris.
 Talibus expavit Zosimas, monstrumque putavit,
 Aut aliquid vere quod dissonat a muliere.
 Sed quod fallatur docet hæc, fratremque lucratur,
 Qui male turbatus redit ad se, sic revocatus :
 Hei ** mihi quo raperis? quid agis, Pater? unde
 [moveris?

A Quis stupor hic mentis? bene sentio quod male
 [sentis:
 In me peccasti dum me phantasma putasti,
 Sum mulier miseræ sortis, rea plus muliere,
 Sum caro mortalis, palpatica, materialis,
 Et quæ, si nescis, anima viget, indiget escis,
 Tempore mutatur, sanæ cineresque minatur.
 Hoc ego quod modo sum de me promittere pos-

[sum :
 Sed quod vidisti, quod pene mutus stupuisti,
 Non ascribatur mihi, nam Deus hoc operatur.
 Ex ope cœlesti sit, si quid habetur honesti,
 Et venit a superis vel agas bene, vel mediteris.
 Nos levis umbra sumus, nos actus turbine fumus,
 Nos agri fenum, primum caro, postea cœnum.
 B Forma perit rerum, datur altera quaque dierum :
 Dum sic mutamur, taciti quoque testificamur
 Quid res promittat, quo nos natura remittat,
 Quod sumus aut erimus, quo tendimus, unde rê-
 [nimus.

CANTUS V.

Postea nil temere Zosimas ratus ex muliere,
 Culpam cognoscit, veniam prece supplice poscit :
 Urget eam lacrymis et suspiratibus inis,
 Ne qua sibi celet, sed quid sit, ut unde revelet,
 Quo sustentetur victi, quis eam comitetur.
 Addit et ista Pater : Refer, o sanctissima mater!
 Proderit audiri, vult Christus hæc aperiri.
 Hoc iter ille seni suggestit, eo duce veni :
 C Ille timere parum dedit in regione ferarum,
 Direxit gressum, firmavit robore fessum,
 Leniit algores, docuit tolerare vapores.
 Quis, nisi juvisset Deus, hæc tam dura tulisset!
 Ad speciale bonum veni, per lustra leonum ;
 Inde reportetur, quo Christo glorificetur.
 Exeat e latebris hæc fax, hæc gemma celebris,
 Non vult abscondi Deus inelyta lumina mundi,
 Ad radios quorum laxatur hiems animorum.
 Ergo quid egisti refer in præconia Christi.
 Quam bene narratur, quo proximus ædificatur!
 Criminis est vere morum documenta silere.
 Hæc ait, et lacrymis ad vota recurrit opimis,
 Quem mulier stratum levat alloquiturque levatum.
1267 Hei mihi! quantum meminisse rogor la-
 [crymarum?
 D Quam seriem scelerum, et quæ contagia rerum,
 Mi Pater, exploras? plus crimine nosse laboras
 Quem non offendam, si turpem, si reticendam,
 Si nullum veritam facinus digessero vitam?
 Quas aures poteris præstare probis mulieris?
 Quisve memor moris feret hæc monumenta pu-
 [doris?
 Quid sequar, aut quid agam? pudet hanc ostendere
 [plagam.
 Sed si celetur, plagæ medicina luetur.
 Obruta laus Christi luitur discrimine tristi!

** Officii cuius gratia. ** Ebr., cultura. Andeg., vultum. ** Ebr., laborum. ** Ebr., Sed subire. An-
 deg., subiere. ** Ebr., Hei quo mihi raperis?

Cum mala sanantur, nisi grates hinc referantur,
 Ad caput ingratum constat remeare reatum?
 Ne sic offendam, vitam recitabo pudendam,
 Et quibus ærguentis lavit Deus ulcera mentis.
 Expedi ut coram monacho confundar ad horam,
 Ne coram sanctis confundar in ora Tonantis.
 Hæc ait, et fletur; rubet, atque referre veretur.
 Suspicit et nutat, faciem confusio mutat,
 Alligat ora pudor, largus fuit undique sudor.
 Si pars incipitur, vix ad postrema venit.
 Tandem quæsitæ perstringens crimina vitæ,
 Sic dixit, vultu cooperto, paupere cultu.

CANTUS VI.

Germinæ non humili genuit me patria Nili,
 Sed postquam crevi, generis titulos abolevi.
 Sæpe mihi ⁶⁶ teneræ vitæ præcepta severæ
 Attulit inde pater, hinc et censoria mater:
 Mater, ut est moris, relegens decreta pudoris,
 Deducit quæstum quem non commendat hone-

[stum

Appositisque minis, dixit: Par esto Sabinis.
 Regnet et in tenera facie matrona severa,
 Nemo nimis propere didicit nocitura cavere;
 Quamlibet ætatem niti decet ad probitatem.
 Hæc assistentes meminî monuisse parentes,
 Sed tribui ⁶⁷ ventis monitus utriusque parentis,
 Et male contemni cœpit pudor a duodenni.
 Extunc indecorem traxerunt ossa calorem,
 Extunc averti thalami connubia certi,
 Et rata torporem, nondum periisse pudorem,
 Sustinui gratis d'spendia virginitalis.
 Neve resistentes differrent vota parentes,
 Egredior patriam, proficiscor Alexandriam.
 Nacta locum sceleri status communis haberi;
 Nec satis id fuerat, quia quando vir mihi deerat,
 Tecta pererravi, nullique rogata rogavi,
 Infamis cultu, vaga lumine, lubrica vultu,
 Visibus impostis, naturæ crimen et hostis.
 Fractior incessus, et lenam sermo professus,
 Clamavere foris, pudet hanc meminisse pudoris,
 Clamavit gestus, ⁶⁸ minus est furor iste molestus.
 Sic oblita mei, dux et via perniciæ,
 Historiis scelerum consumpsi quosque dierum,
 Fassa diem mœstum, quo forte monerer honestum,
 Quod quoties fregi, festum celebratius egi,
 Cantica quæ traherent scelus, incestumque doce-

[rent,

Dilexi, didici, ⁶⁹ mimas modulamine vici.
 Cumque salitores exhaustos, aut seniores
 In nullam venerem jam fastidita moverem,
 Sum blandita novis, hos emi munere quovis
 Et sociis scelerum divisi singula rerum,
1268 Quas acus et fusus vitæ donarat in usus.
 His instrumentis manus accedebat egentis,
 His domus, his victus, his est quæsitus amictus,

A His ad vota datus consors hæresque reatus.

⁶⁶ Quantam, nam meminî, placuit mihi copia vini?
 Quam captabatur cibus, unde libido juvatur?
 Cumque duo magni sint hostes sexus et anni,
 Ebrietas istis est addita tertius hostis.
 His mecum morbis, et per me perditus orbis,
 Nunquam labe pari potuit poteritve gravari.
 Me minus erravit quisquis mala multiplicavit,
 Et mihi defendi palmam male semper agendi.
 Cum jam non nossem quem crimine vincere possem,
 Crimine multiplici post omnes me quoque vici.
 Nam velut errorem prius ausa, deinde turorem,
 Quidquid peccavi mala pessima ⁶⁸ justificavi,
 Nec sceleri metas posuit vel serior ætas.
 Talibus et tantis oculis invisâ Tonantis,

B Annos ter ternos exegi bisque quaternos
 Ecce die quodam, (sed qualiter hoc tibi prodam?
 Quam miserè cecidi!) juvenes in littore vidi,
 Vidi, captavi; quo vellent ire rogavi.
 Subridens primus dixit: Jerosolymis imus.
 Sciscitor an comitem paterentur. Subdidit idem:
 Si nautum dederis, patet ære carina, veleris.
 Tunc ego: Pro navi pretium tibi nauta paravi;
 Si pretium quæris, me pro pretio poteris.
 Nil habeo nisi me; sed si placet, utimini me:
 Nil habeo melius, cape fructum muneris hujus
 Ex hac fortuna faciam satis omnibus una,
 Si de communi victus mihi provenit uni.
 His dictis, juvenis gressus impressit arenis,

C Et quasi verborum sprete levitate meorum,
 Nautas hortatur, socios vocat, urget, eatur.
 Ipsa comas stringo, vultus in crimina pingo,
 Projicio fuscum, succingor euntis in usum:
 Prosequor intra ratem, spondet mare prosperi-

[tatem.

Blanditur ventus, ventum movet arte juvenus,
 Et paucis horis captatis utimur oris.
 Hei mihi! quo labor? qua lingua cætera labor?
 Da veniam miseræ, pulor exigit ista latere,
 Et trahit ⁶⁹ horrorem tantum meminisse furorem.
 Hæc ait, et flevit, rubor ora verenda replevit.
 Flentem solatur Zosimas, referatque precatur.
 Paruit, et tandem sic est ⁷⁰ resecuta precantem

CANTUS VII.

D Mi Pater, in navi mea crimina multiplicavi.
 Nil illic egi nisi quæ sunt obvia legi,
 Et procul a curis fuit omnis mentio juris,
 Quo male projecto nautas in turpia flecto;
 Excito torpentes, segnes voco probra verentes.
 Cui scelus est gratum fortem puto, juro beatum.
 Docta viri voto famulari corpore toto
 Cura fuit sonti per mille pericula ponti
 Blandiri sceleri, nil præter honesta vereri,
 In venerem volvi, vino persæpe resolvi,
 Escis distendi, modulos variare canendi.

⁶⁶ Ebr., Sæpe mihi modice vitæ præcepto severa. ⁶⁷ Ebr., mentis. ⁶⁸ Ebr., nimis. ⁶⁹ Ebr., mimos.
⁷⁰ Ebr., Quam male nam. ⁷¹ Ebr., multiplicavi. ⁷² Ebr., errorem, sed melius, horrorem. ⁷³ Ebr., prose-
 cuta. Andeg., secuta

Omnibus his uti, quæ sunt infesta salutis.
 Crede mihi, multum miror scelus illud inultum,
 Nec mare nec ventum facinus rupisse nocentum.
 Miror quod pravis servivit in hæc probra navis;
 Quod tot, quod tantis non obstitit ira Tonantis;
 Quod tulit incestus et litus, et auster, et æstus,
 Inter mille fere mortes mala tuta fuere.

1269 Sed Dominus Jesus qui novit parcere læ-
 [sus,

Læsus parcebat, parcendo redire monebat,
 Jamque mihi gratis monstrabat fons pietatis
 Quod licet iratus differt punire reatus,
 Inventusque ferit, quia culpæ parcere quærit.

CANTUS VIII.

Neve meæ veneris longo sermone graveris,
 Deferat ad portum, subeo ⁸⁸ nova mœnia scor-
 [tum.

Juncta levi turbæ moror hospes et hostis in urbe.
 Circumeo vicos, amplexus venor iniquos:
 Cogitur in facinus tam civis, quam peregrinus.
 Hos ego dum capto, dum me malesana coopto
 Nequitia tantæ, crucis Exaltatio sanctæ,
 Quæ tunc instabat, cives ad templa vocabat.
 Turba præit patrum, sequitur devotio matrum.
 Urbs exhausta fere me compulsi ire videre,
 Quærere quid traheret populum, quid in æde pla-
 [ceret.

Ivi lethalem mihi quæsitura sodalem:
 Et pudet et dicam, qui ⁸⁹ subjectaret iniquam.
 Sed secus hoc cessit, pietasque superna repressit
 Incentivorum veneres æstusque meorum.
 Quippe volens intrare fores et sacra videre,
 Non illas intrare sinor, non ista videre.
 Porta patens populum venientem suscipiebat,
 Me peccatricem vis cœlica rejiciebat.
 Quæ dum feminea contingere debilitate
 Suspicio, eluctor quanta licet improbitate;
 Sed nec tunc potui portas intrare patentes,
 Quamvis intrarent præeuntes atque sequentes.
 Miror et indignor quod ab æde sacra revocarer:
 Inseror et turbis, ut ab his impulsa juvaret;
 Enitor, populoque manus appono prementi.
 Sed nihil istorum prodest intrare volenti,
 Hos quoque conatus ⁹⁰ terit enervatque reatus,
 Nec patitur crimen sacrum contingere limen.
 Ut sensi mecum, sic aio: Non erat æquum
 Illa mihi miseræ mulieri templa patere,
 Templa beatorum titulis reverenda laborum.
 Hic est contractum mortis lacrymabile pactum;
 His nostros actus auctor luit, hostia factus,
 Hic est damnatus, hic mortuus, hic tumulatus,
 Hinc resurrexit et vitam morte revexit.
 Ad loca tam miræ dulcedinis ausa venire
 Non ⁹¹ oleæ rorem, non affero thuris odorem,
 Nec mentem puram magis omnibus his placitu-
 [ram.

A Qui probra testatur fetor pro thure paratur,
 Pro titulis morum, turbam gero flagitiorum,
 Et quidquid miserum cadit in genus hoc mulierum.
 Heu! Quid tentavi? Quo, qualis et unde migravi?
 Ad mensam Christi meretrix a fornice tristi,
 Illis onerata malis adii loca talia talis.
 Obstruit hoc aditum frustra mihi sæpe petitum.
 Probra lupanaris Deus odit et arcet ab aris,
 Et sordes mentis a vivificis alimentis.
 Hinc vocem pressi, nec longius inde recessi:
 Sed stans præ portis lacrymis immergor abortis,
 Terque repulsa queror, gravat ora ⁹² gementia
 [mæror.

Dissidet affectus, tentat confusio pectus,
 Incipit et morum meminisse, pudere malorum,
B 1270 Et quamvis sero tumulata resurgere quæro.
 Quod bene quæro datur et Lazarus extumulatur.

CANTUS IX.

Forte fuit juxta mulieris imago venusta
 Illius eximie sub nomine picta Mariæ,
 Quæ Salvatorem peperit, ceu stella nitorem
 Hanc dum conspicio, novor intus et altera flo.
 Accedo propius flens, ⁹³ supplico vultibus hujus,
 Atque genu flexo matrem Patris hac prece vexo:
 Ad te, Virgo pia, Virgo sacra, Virgo Maria,
 Virgo novæ sortis venio, sed femina mortis,
 Sed male vulgaris, sed sordida, sed stabularis,
 Sed quæ ploravi nisi cum ploranda patravi;
 Cum probra commisi, quasi probris incluta, risi,
 Et mœstus vultus hilaravit concuba multus.
 Nox fuit in somnis, dum vir subit, omnibus omnis,
 Et crimen duxi nisi multo crimine nupsi
 Concubitu vetito gaudens, populoque marito.
 Taliter explevi cursum miserabilis ævi,
 Taliter excessi, modo damno quod male gessi,
 Pœnitet erroris, sordet sentina furoris;
 Nec bene damnatum patiar vel amabo reatum,
 Si sera laxetur qua peccatrix retinetur,
 Si liceat miseræ lignum vitale videre.
 Hoc per te spero, per te succedere quæro.
 Nam licet iratus cedet, te supplice, Natus;
 Cedet enim, siquidem Pater est et Filius i:em.
 Duplex affectus trahet exorabile pectus,
D Ad quodvis munus flectetur uterque, sed unus.
 Ergo sub hoc pacto præsta mihi quod bene capto,
 Sis testis pacti, sis vindex tu quoque ⁹⁴ fracti.
 Nolo parcatum mihi, si facinus repetatur.
 Erigor his dictis, vitiis jam mente relictis,
 Inde reflecto pedem, bona spes comitatur ad ædem,
 Impatiensque moræ feror ⁹⁵ intus, sed absque la-
 [bore.

Gratulor admitti, posco delicta remitti,
 In veniam ploro, vexilla salutis adoro.
 A sacramentis absterrent crimina mentis,
 Illis oblatis matrem reneto pietatis

⁸⁸ Ebr., sacra. ⁸⁹ Ebr., quid. ⁹⁰ Ebr., tenet. ⁹¹ Ebr., olei, et Andeg. ⁹² Ebr., mœrentia, et Andeg.
⁹³ Ebr., suspiro. ⁹⁴ Ebr., facti, et Andeg. ⁹⁵ Ebr., intro.

Et bene promeritæ grates ago, supplico rite
 Quid iubeat fieri, quo tendere quæro doceri;
 Quæro viam morum, regat obsecro mater eorum.
 Dum tam sollicitè pulsatur ad ostia vitæ,
 Sic respondetur : (Nec novi ⁸⁸ qui loqueretur,
 Hoc novi tantum quemdam sic esse locutum :)
 Jordanem si transieris, ⁸⁷ requie poteris.
 Hinc stupor obrepit, qui postquam tempore ces-

[sit,

Egredior celeri pede sic mihi visa moneri.
 Quæritur et rapitur, via qua Jordanis aditur.
 Dum propero, quidam pro tempore convenienter
 Tres mihi denarios offert, tribuitque latenter,
 Hinc emo tres panes, egressaque mœnibus urbis,
 Niior et asportor et cedo profuga turbis.
 Vesper erat, subeo Baptistæ templa Joannis,
 Quæ placido cursu dicitur præterfluit amnis.
 Illic in lacrymis genuitque professa reatum,
 Mysteriis accedo gerens cor contribulatum.
 Pane dehinc sumpto præfatum transvehor amnem,
 Quæro modum vitæ quo pristina crimina damnem.
 Tunc mihi delicias, tunc luxum carnis ademi;
 Tunc scelerum tempus studio meliore redemi.
 Sed te verborum lædet fortasse meorum,

1271 Solque rota celeri volat indocilis retineri.
 Ergo recede, Pater. Tunc ille : Piissima mater,
 Dic age quod sequitur, nihil aptius hic aperitur.
 Dic, ancilla Dei; superest pars magna diei,
 Nil magis ad votum cedit quam dicere totum.
 Dic age, si memor es, quos sis ibi passa labores,
 Unde tibi victus, quis et unde paratus amictus;
 Si qua rebellavit tentatio, nec superavit;
 Si prius infestus carnis deferbuit æstus.
 Hic ea mota senis precibus consedit arenis,
 Et rorans lacrymis subjunxit talia primis :
 Annos undenos quadrupliciterque novenos,
 Mi Pater, explevi post lapsum flebilis ævi,
 Nec tamen absque gravi certamine crimina lavi.
 Tentor enim rursus, sit post sacra vota recursus
 Ad pigmentorum calices, luxumque ciborum;
 Pisces Ægypti, vini que cupido relictis
 Me miseram tangunt et eo vehementius angunt,
 Quo magis intendi dapibus, studioque bibendi.
 Dum mihi sordebat modus, ebrietasque placebat,
 Urbibus et peregre vitium dediscitur ægre.
 Proposito morum subito hostis ubique locorum.
 Pectora firma parum mala mentio deliciarum
 Urget et infestat, furit Eva, virumque molestat.
 Eva cibum mortis cupit in vitalibus hortis.
 Hei mihi! nam quadam pudet edere, sed tamen

[edam.

Disce nihil tutum nisi primo carne solutum :
 Semper erit præsto quod et instet et obstet hone-

[sto.

Æstu nubendi desiderioque canendi

A Exsecrandorum modulos et carmen amorum
 Uror et ad mentem retro resipiscentem
 Amplexus vetitè redeunt, et mille mariti,
 Oscula captantur, ad nuptum vota vagantur;
 Virtus est oneri, pudet ultra lege teneri;
 Tædet ⁸⁹ atque jugis, postpono seria nugis,
 Solivagam turbis, eremum conventibus urbis.
 Hæc ad defectum pulsant phantasmata rectum,
 Et germen moris suffocat imago furoris,
 Donec ad eximiam precibus conversa Mariam
A tentamentis revocarem lumina mentis.
⁸⁹ Huc igitur venio, gemo, lacrymor, hostia fio,
 Quæro reformari, precor inveterata novari.
 Post holocausta precum redit et stat mens bona se-

[cum,

B Post fletum cordis fugit omnis mentio sordis.
 His medicamentis residebant ubera mentis,
 Et redivivorum sartago flagitiorum,
 Quæ male fervebat penitus frigere solebat.
 Præterea flentem miserabiliterque jacentem
 Circumfulgebat splendor, totamque tegebat
 Missus aberrantem revocare, levare labentem,
 Spem conferre bonam, dare vim, monstrare co-

[ronam.

Trina triennia, bina tetrennia sic abiere,
 Lenibus aspera, mitibus effera mista fuere.
 Sed nova vulnera Virgo puerpera, cum bene flevi,
 Tersit et abluit; inde salus fuit, inde quievi.
 Per tot lustra fere duo panes esca fuere,
 Quos necum gessi simul luc ex urbe recessi.
C Aruerant et duruerant, propriumque colorem
 Perdiderant et desierant conferre vigorem,
 Inde tamen relevare famem perparca solebam.
 Quid biberem cum deficerem vix inveniebam.
 Postquam sunt longo consumpti tempore panes,
 Mens hærens Domino curas ⁹⁰ abstraxit inanes,

1272 Extunc usque modo tentatio prisca resedit,
 Extunc usque modo rationi sensus obedit,
 Usque modo cibus exterior cum frondibus herba,
 Usque modo cibus interior cœlestia verba.
 Vestes quas habui, scidit trivique vetustas,
 Nuda dehinc tenui regiones sole perusta,
 In quibus algores nimios, nimiosque calores
 Horis nocturnis, horis perpessa diurnis,

D ⁹¹ Supplicio præteritæ scelus et dispendia vitæ.
 Muto jocos hymnos, purgo mœrore cachinnos,
 Pœna voluptatem redimit, sitis ebrietatem,
⁹² Paupertas luxum, labor otia, glareæ mulsum,
 Crux mollem stratum, devotio sacra reatum.
 Tot tormenta fere fero quot probra præteriere.
 Quidquid peccavit caro, carnis victima lavit.
 Quid mihi pœnarum qualis confictus earum,
 Quotve cruces æque renovantur nocte dieque,
 Scit Deus ipsorum testis, mercesque laborum.
 Sæpe sub ardenti ⁹³ cancro, brumaque rigenti

⁸⁸ Ebr., quid loqueretur. ⁸⁷ requiem invenies. Andeg., poteris. ⁸⁹ Ebr., aquæ jugis. ⁹⁰ Ebr., Hunc animo venio. ⁹¹ Ebr., absteresit. ⁹² Ebr., Suppleo præteritæ. ⁹³ Ebr., Pauveries. ⁹⁴ Ebr., Phæbo.

Frigore nocturno rigeo, cremor igne diurno,
Et nusquam tuta jaceo quasi morte soluta.
Additur huic pœnæ vis pulveris, ardor arenæ,
Nec gravitas horum lenitur sorte locorum,
Nam locus, ut cernis, vacat arbore, monte, ca-
[vernīs,

Et quibus arcetur canis ardor hiemsve cavetur.
Scis hominem sane non solo vivere pane,
Nec vestimentis aut æde resistere ventis :
Omnibus est victus Deus, omnibus omnis amictus,
Cælum Rex cœli moderatur, adestque fideli.
Cum furit aura foris, premit auram fervor amoris,
Nec nive, nec ventis alget devotio mentis.
Ardua nulla bonis spes sideræe regionis,
* Et mihi respondi mundum male conscia mundi.
Non mihi scripturæ cordi, non lectio curæ,
Nec doctrinarum vel mentis sola sacrarum.
Una fuit tantum devotio, lapsus amantum,
Inque lupanari populo male morigerari.
Si quid honestatis, si morum, si pietatis,
Si divinarum monumenta retracto librorum
Cœlitus ecce datur, Deus hæc docet, hæc operatur.
Spiritus absque mora mentem replet, erudit ora :
Nullus discenti, nullus labor erudiendi.
Sic mihi præteritæ fluxerunt tempora vitæ :
Tempora quæ restant mercedis spem mihi præstant,
** Mortis solemnīs, quia merces vita perennis.

CANTUS X.

Ordine digessi quidquid male vel bene gessi,
Nec puidit retegi quæ flagitiosius egi.
Nil superest operis cur amplius hic remoreris :
Umbrae prorescunt, venit hesperus, astra nitescunt,
Nox cursu solito, reditum jubet : ergo redito.
Quæque ** tibi soli commisi, pœdere noli.
Quando monasterium claustrales egredientur,
Et pariter fluvium Jordanis ** ingredientur,
Ipse domi residens morbo remanebis agente,
Quem tamen evades Domino tibi subveniente.
Incolumis factus exi, cunctamine dempto,
Altarisque cibum tecum deferre memento :
Quem cœlis spero, terris præsumere quæro.
Spero rem puram, peto rem, reique figuram :
1273 Hoc animata cibo, quo tendo tutius ibo.
Hic mihi conductus, vector, via, patria, fructus.
Hoc duce carpe viam, tibi, mi Pater, obvia stam.
His oculis iterum te conferet una dierum,
Conferet, et quædam quæ prosint fratribus edam.
Tunc ego, tunc demum sum te visura supremum.
Inde valedicto Zosima fugit illa relicto.
Ipse recedentem, nec vel prece respicientem,
Prosequitur visu, quam postquam prepete ** visu
Sicasportari videt, et frustra revocari,
Convertit gressus, redit, egrediturque recessus.
Cella revertenti patet, hæret femina menti,
Femina, versatur in pectore, vixque putatur

A Femina sic superis par est habitus mulieris.
Sic est non hominis status, os, abjectio, cinis :
** Hoc et sola fere recolit, captamque videre :
** Hoc Zosimas æque suspirat nocte dieque.
Terminus optatur quo grex sacer egrediatur.
Terminus ecce redit ; conventus ab æde recedit :
At morbo tactus Zosimas, et stare coactus,
Latus agit grates, quia quod sibi femina vates
Dixerat, impletur. Jacet, at quandoque sequetur.
Dura libens tolerat quisquis sublimia sperat.
Spes ægotanti monacho, lectoque cubanti
Subvenit, alludit, gemitum lacrymasque retrudit,
Anxia refrenat, curas levat, ora serenat.
Nec spe frustratur, quia prisca salus reparatur,
Incolumentemque brevi defectus debilis ævi
B Non tenet ; egreditur, labor exoptatus initur ;
Et quasi pulmentis, aut multimodis alimentis
Femina lætetur, quæ nomina sola veretur,
Vas elixarum fert secum ⁷¹ lenticularum,
Tecta que sollicite superaddens fercula vitæ.
Carpit iter plenæ sub sacræ vespere cœnæ,
Speque fideque citus properat contingere litus :
Utque gradum fixit, suspirans talia dixit :
Hei mihi ! qui frustra sequor hæc et circuo lustra,
Aut oblita senis latet, aut tardatur arenis,
Aut prior accessit, sed spe frustrata recessit ;
Et dum necto moras, adiit quas incolit oras.
Fortassis veniet, sed quæ mihi copia fiet,
Vel sacra tradendi, vel cum muliere loquendi ?
C Obstat Jordanis, niti pede nisus inanis :
Quippe vadum nusquam, sed nec pons, nec ratis
[usquam.
Plura senex questus circumfert lumina mœstus,
Prospicit attente, mens ⁷² enim tacet ore tacente.
Ecce gradu propero, nudo pede, vespere sero,
Sicut promisit, venit illa, senemque revisit ;
Subsistensque parum quasi fessa labore viarum,
Erigit ad superos animum vultusque serenos,
Et flens secundæ signum crucis imprimit undæ.
Sic ea portento similis pede pulverulento
Interjectarum transit discrimen aquarum.
Nulli qui credit se mundo, mundus obedit,
Menti sinceræ norunt elementa favere ;
Nique bonis gaudet, bona poscere quælibet audet.
D Nil frustra captat, qui se sine vulnere mactat.
Luna refulgebat, nec facta latere sinebat,
Ad radios cujus patefactis visibus hujus,
Et sene multimodas extorquet et elicit odas.
Ecce piis votis, ambagibus inde remotis,
Femina virque vacant, sacra prece numina placant,
Fletibus ora rigant, singultu verba fatigant,
Pro reprobis orant, exemplis verba colorant
Gaudent sincere mulier scene, vir muliere ;
Summaque verborum Deus est, aut lectio morum.
His ea patratis venit ad calicem pietatis,

** Ebr., *Ut mihi.* ** Ebr., *Merces.* ** Ebr., *Quæque dehinc soli.* ** Ebr., *transgredientur.* ** Ebr., *nisu.* ** Ebr., *Hæc et sola.* ** Ebr., *Hæc Zosimas.* ** Ebr., *plenum.* ** Ebr., *non tacet.*

1274 Et confessa prius quam quidquam tangeret A Cui casa, desertum, thalami, specus haud cooper-
 [hujus, [tum,
 Totam se maclat lacrymis, calicique coaptat. Cui pudor est velum; comes, angelus, atria, cœ-
 Inde genu positæ dantur sponsalia vitæ, [lum.
 Et capiti Christo libamine jungitur isto, Quo ferar, aut quid agam? Sequar ustam sidere
 Affatu tali tradens mandata sodali : [plagam?

CANTUS XI.

1275 Multiplices pœnæ, senium, sitis, ardor, [arenæ

Mi Pater, excessus fratrum scrutare regressus.
 Doctrinam morum pars aspernatur eorum,
 Et velut ignoret qua fallere fraude laboret,
 Quis mentis postem petat hostis, negligat hostem.
 Astu subtili lupus insidiatur ovili.
 Si qua vagatur ovis, perit obruta vulnere quovis,
 Et patet ad morsum dum respicit illa retrorsum.
 His obstat damnis abbatis cura Joannis,
 Horteturque gregem monachi non spornere legem.
 Fratri qui peccat lex patrem qui silet æquat,
 Quos quia culpa ligat par, par quoque pœna fatigat.
 Sic Regem cœli contristans corruiit Heli :
 Ne sit ei talis transgressio judicialis,
 Pro vigili cura Pater exstirpet nocitura.
 Excubet ante fores, ferat æqua mente labores,
 Scrutetur mentes, confortet honesta volentes
 Excitet aggressos, premat immoderata professos,
 Arguat, hortetur; quæ prædicat hæc operetur.
 Mulceat immitis, denuntiet aspera mitis;
 Hos coram pungat, modo verbis verbera jungat,
 Ulcera culparum lavet, aut luat auctor earum.
 Sit licet hic tutus, sit felix prava secutus,
 Judicium gravius Deus irrogat ausibus hujus,
 Continuatque gravis clementia prospera pravis.
 Qui modo torquetur nescit quam magna lucretur.
 Cum furit atque ferit Deus olim parcere quærit,
 Ista relaturus, et adhuc semel huc rediturus.
 Vade, revise gregem, revereri præcipe legem,
 Assistens aræ pro peccatrice precare.
 Sic ea fata redit, redeunti fluctus obedit,
 Et siccis plantis famulam testata Tonantis
 Desuper incedit, Zosimaque stupente recedit.
 Ipse domum propere, venit, et procul a muliere
 Votis sinceris comes et memor est mulieris.
 Obsidet hæc mentem, totum tenet una querentem
 Quod si tam magnus, quod lente transeat annus.
 Annus abit tandem, Pater exit; quærit eandem,
 Egressusque fores fert absque labore labores,
 Quoque potest nisu, pede pervia, cætera visu
 Circuit, explorat, fletus hæc et plura perorat:
 Christe figura Patris, Pater et stirps unica matris,
 Exaudi fletum, rege, quæso, vasta sequentem
 Hanc ostende seni propter quam te luce veni,
 Quam volo, quam quæro, cujus prece cœlica spero;
 Quæ licet in castris modo militet, insidet astris
 Juncque comes superum fastidit lubrica rerum;
 Jam conjuncta Deo fructum petit hæc hymenæo:
 Fructum longævum, fructum qui duret in ævum.
 Væ mihi, væ misero, frustra per devia quæro,
 Cui domus in latebris solo cultore celebris;

His adversantur cœptis, et vota morantur.
 Sic Zosimas questus circumfert lumina mœstus
 Nescit utrum properet, dubiusque quid eligat,
 [hæret;
 Clamitat, auscultat; non vox, non echo resultat
 Non sonus auditur; non forma pedum reperitur
 Dumque pererraret, dum visu cuncta nutaret,
 Desuper argentes artus animaque carentes
 Fluxit radius quasi dux et prævius hujus:
 Omine lætatus, Dominumque Deum veneratus
 Currit eo, reperit quam votis, quam pede quærit;
 Sed jam defunctam, jam Christo re quoque junctam,
 Jam superum castris, rutilantem clarius astris.
 Glorificanda caro decocto purior auro,
 Sicut oportebat mulierem, tecta jacebat.
 Quam tristes questus monachi! qui pectoris æstus?
 Qui gemitus laceræ mentis? quæ verba fuere?
 Is modo suspirat, modo totam lumine gyrat;
 Nunc oculos cœlis, nec applicat ora querelis.
 Prostratus mœret, pedibus reverenter adhæret;
 Flet super et sanctis pia dividit oscula plantis.
 Neve revertatur votis et voce precatur,
 Grande putans munus comitari funere funus,
 Occasusque pari convivere, contumulari.
 Dum dolet, et dubius de nomine fluctuat hujus
 Suscitatur ora senis inventum nomen aren
 Et nubes mentis dilabitur his documentis
 Sancte Pater, Phariæ sepeli precor ossa Mariæ;
 Gleba recondatur, cineri cinis adjiciatur.
 Mox ut ei Christi corpus calicemque dedisti,
 Victicem mundi dissolvit prima secundi.
 Mysteriis plenæ transacto vespere cœnæ,
 Nox gravis⁷³ irrepsit, quia sol cum sole recessit.
 Iks Zosimas demum, nomenque diemque supre-
 [mum
 Agnoscit dubius. Quis conditor exstitit hujus?
 Nam nil legisse mulierem, nil didicisse
 Noverat istorum, nec vel memorem studiorum.
 Comperit hinc etiam post tradita sacra Mariam
 Illuc traductam momento, innoxque solutam,
 Quo vix expletis bis quinque decemque diebus
 Venerat is fessus, ⁷⁴ victumque labore professus;
 Qui nova lamentis testatus vulnera mentis
 Assidet exanimi, madet imbres doloris opimi,
 Iratus fatis studet officio pietatis;
 Laudibus applaudit, tegit artus, lumina claudit;
 Nunc amplexatur vestigia, nunc veneratur
 Ora, comas, vultus. Erat his incuria cultus;
 Horum majestas, contemptus, squalor, egestas.

⁷³ Ebr., obrepsit. ⁷⁴ Ebr., victique.

1276 Femina munda satis lacrymis pietate vocata
 Abluitur gratis, quia par prope glorificatis.
 Ipse sepulturæ studet, huic vacat, hæc sibi curæ;
 Sed quid agat nescit, tellus perdura rigescit;
 Multa senem frangunt, labor et calor et sitis angunt;

Cedit vis annis, sinuosis brachia pannis,
 Præ manibus nullus ligo, sed nec sarculus ullus.
 Dum dolet atque gemit, nova res suspiria demit:
 Lumina siccantur, quia spe meliora parantur.
 Nam leo lugenti similis funusque colenti
 Obsequium spondens, iramque feramque recon-

Vertice submisso venit, fastuque remisso
 Adjecit sanctas humilis collambere plantas.
 Miratus talem tam devotumque sodalem,
 Attribuit meritis mulieris; quod fera mitis,
 Quod leo sit lenis, quod nomen inhæsit arenis,
 Quod super illuxit, et eum lux prævia duxit;
 Quod desolatam custode, quod intumulatam
 Non infestavit fera, non volucris laceravit,
 Non solvit magnus fervor, non integer annus;
 Jam depingebat quæ gloria membra manebat
 Sub calidis ventis incorruptela jacentis.
 Tot simul et tantis expertus dona Tonantis

A Cuncta recordatur, relegit quod ubique loquatur
 Alloquio tali tradens mandata sodali:
 Mi comes, urgemur, et eam sepelire monemur
 Quam nescit mundus, cui major in orbe secun-

Quod si venisti missus sub nomine Christi,
 Si famulaturus, tumultum fode, post rediturus.
 Exue terrorem, solitum dedisce furorem;
 Ad laudem Christi cedet quod feceris isti.
 His nondum dictis, feritate minisque relictis,
 Lenius incedit, et ei leo promptus obedit,
 Ignarusque moræ momento labilis horæ
 Implet mandatum, peragens opus acceleratum.
 Interea monachus sacros ad sternitur artus:
 Vestis eum nulla nisi trita vetusque cuculla

B Quæ vix hærebat sibi jam contusa tegebat.
 His indumentis involvit membra jacentis,
 Scilicet ingentem thesaurum, jamque gerentem
 Quiddam splendoris, quiddam solemnem odoris,
 Quiddam præclarum de nectare cœlicolarum
 Femina sanctorum mercede beata laborum,
 Ad tumultum vehitur, famulante fera sepelitur.
 Inde senex repedit, jubet ut leo verna recedat.
 Visa domi recitat, delictis parcere vitat:
 Increpat, hortatur, spondet bona, dura minatur.
 Sic ubi complevit viginti lustra quievit.